



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

1 Electionis confirmator, de ea agnoscere, supplere, & inquirere potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



DECISIO I.

Ex consil. 1. in antiquis aliis 2. in Novis.

**I**uxta habens ius, & potestatem confirmandi, vel infirmandi electionem alicuius a Capitulo factam, ad instantiam partium, vel ex officio suo per se, vel commissarios iudices potest, & debet cognoscere, & inquirere de modo electionis, an sit canonice facta, c. Cu nobis, de electione, & de persona etiam electi, an sit idonea, c. Venerabilem, tit. eod., & c. oblatæ, de appel., & alia facere quæ ad publicam utilitatem spectant, etiam compellendo Capitulum, & arbitros commissarios eius, & Notarios ad edenda instrumenta, & acta publica coram eis gesta, quæ ad causam illius iustam & breuem expeditionem pertinent, c. Quoniam contra, de probat.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 8.

**E**lectio superioris facta a Definitorio alicuius Capituli, seruatis alijs seruandis, si post tenebras, & quando iam sine candela non possit cerni, nec discerni, facta sit, quamuis quoad forum conscientiarum, cessante fraude, valida sit, & etiam quoad forum exterius, secundum iura antiqua c. Consultuit, de offic. del. & Felin. ibi, quæ non requirunt formam eligendi secreta, post Concilium tamen Tridentinum sess. 25. c. 6. de reg. & c. quia propter, de electio, & constitutionem ordinis super eius executione factam, secundum quam requiritur forma secreta suffragandi per schedulas, quæ commodè fieri non potest sine lumine diei, nocte fieri non potest.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 7.

**E**lectio post suffragiorum collatione ex incontinenti, & aliter ex intuitu, vel ex ignorantia, vel ignorantia quadam eligentium, vel fraude electi facta, non valet, cum de forma substantiali electionis sit, quod statim post collatione suffragiorum fiat, c. Quia propter, & c. cum post petitam, de elect. secus tamen si post mortem interpositam per malitiam, vel dolum eligentium, vel aliam iustam causam sine fraude electi fiat, tunc enim valida iudicari debet, quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, c. Denique, 14. q. 5. & l. Non debet, ff. de reg. iur. Nec quisquam sine culpa iure suo priuatus est, cap. sine culpa, de reg. iur. in 6. Publicato autem scrutinio, non possunt variare, qui suffragari sunt, sed ad seum eligendum, qui secundum suffragia publicata eligi debet, compelli possunt, c. Publicato, de electio.

DECISIO IV.

Ex consil. 4. alias 9.

**E**lectio, in qua vnus electorum sine fraude, & malitia suffragium suum socio detegit, reliquis omnibus secretò suffragantibus, non obstante Concilio Tridentino sess. 25. c. 6. de regular. valida censeri debet, cum defectus occultus vnus de Capitulo nocere non debeat Capitulo id ignoranti, neque actum ab eo aliam legitime factum, c. sin. de procur. Præsertim cum ostensio præfata suffragij non sit facta fraudulenter, nec causa est, vt alij pro tali suffragarentur.

DECISIO V.

Ex consil. 5. alias 5.

**E**lectionem a maiori parte factam nõ admittens, grauius peccat c. Indemnitatebus §. 1. de elec. in 6. & talis electus ius repetendi Abbatiam, ad quam est electus acquirit, quod si alter minis, aut metu eligatur, electio inuálida & nulla efficitur, cum omnis electio metu facta, ipso iure nulla sit, c. Vbi periculum, §. ceterum, tit. eod. & Nau. in Man. c. 17. nu. 29. & c. 22. num. 51.

DECISIO VI.

Ex consil. 6. alias 6. de verb. signif.

**R**eligiosus priuatus voce actiua, & passiuia iuxta Concilij Tridentini decretum, sess. 25. c. 2. de regular. om-

ni iure dandi vocem ad aliquem actum faciendum in Capitulo, & iure patiendi vocem datam de ipso a Capitulo, Conuentu, vel Collegio, quoad ea, quæ sibi sunt oneri, & pœna, priuatus censetur, Gloffa Cle. 1. de regul.

DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 4.

**S**crutatores electi ad faciendum electionem, si in electione falsum aliquid miscerint, non dicentes quot suffragia habeatis, in quem maior pars consensit, mortaliter peccant, & electio nulla est; & ipsi vltra priuationem potestatis eligendi, arbitrio iudicis puniendi sunt, c. Quia propter, de elect.

DECISIO VIII.

Ex consil. 8. alias 6. de appellat.

**S**uspensio voce actiua & passiuia beneficium alia via, quam electionis acquirere, illudque administrare potest. Quia cum suspensio contra limites suos non operetur, quamuis voce actiua & passiuia priuatus beneficium per electionem, (in qua sola habet locum vox actiua & passiuia) consequi non poterit, ad consequutionem tamen beneficij via collationis, vel institutionis non extenditur, cum hæc diuersa sint, c. Cum in illis, §. 1. de elect. in 6. & Nau. in Man. c. 27. nu. 163.

DECISIO IX.

**S**uspensio ab officio, & ingressu ecclesie, cuius solius violatio irregularitatem inducit, appellatione suspendi non potest, c. Is cui, §. final. de sen. exc. in 6. suspensio autem a beneficio, vel eius administratione, vel a Pontificalibus, vel vsu pallij, vel a voce actiua, & passiuia, per appellationem legitimam subsequentem suspenditur, nec aliqua illarum violatione irregularitas incurritur, Arg. c. 1. §. si. de senten. exc. in 6. & c. 1. de sent. & re iud. in 6.

DECISIO X.

Ex consil. 9. & alias 10. & 11.

**G**eneralis Minorum finito triennio sui officij, durante sequente triennio Vicarius Generalis, vel Procurator Generalis constitui non potest, eo quod Generalis, & Vicarij Generalis eadem sit iurisdictio, & tribunalis c. Non putamus, de consuet. in 6. cum tamè illius ordinis Superiores tanto tempore subsistere debent, quâto præfuerunt, nisi forte gradum superioritatem assumant. Quia vè rò Procuratoris officium minus est Generalatu; & durante triennio sequenti non potest deligi ad minora officia Generalatu, immo correctori subiectus esse debet: Procurator autem Generalis nulli alij, quam Generali subditus sit, proinde neque Procurator Generalis immediate fieri potest.

DECISIO XI.

Ex consil. 11. alias 1.

**E**lectio propter concursum excommunicati non denunciati, si alias legitime de sufficientia aliorum electorum constet, non fit irrita, secus tamen si excommunicatus denunciatus erat, & constat illis, qui simul eligunt, c. Illa, de elect. & c. solet, de sen. exc. in 6.

DECISIO XII.

Ex consil. 12. alias 12.

**C**um prælatus, & conuentus diuersa sint, adeo quod propriè prælatus de capitulo, & conuentu non fit Glof. recep. in Cle. vt ij qui, de ata. & qual. & conuentus in ijs, quæ ad eum separatim pertinent, sine prælati consensu agere potest; Inno. in c. edoceri, nu. 6. de rescrip. conuētus cum Vicario qui solet appellari Superior in Monasterijs, quæ p Priores reguntur, & Prior claustralis in Monasterijs quæ reguntur per Abbates, c. Cum ad monasterium, §. prior. de stat. monach. cuius officium per mortem Abbatis, vel Prioris non vacat Cle. Ne in agro, §. abbate, de statu monac. neque a Priore, vel Abbate, sed a iure communi potestatem suam recipit; Procuratores ad electionem promouendam cum facultate suffragandi, & pro